

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XX. Canes Famelici.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Facile impetrauit: dein reposcenti locum 5
 Preces admouit: tempus exorans breue,
 Dum firmiores posset catulos ducere.
 Hoc quoque consumto, flagitare validius
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

Maximo nostro malis benefacimus damno.

Sunt hominum malorum blanditiae semper insidiarum plenae: quas vt vitemus, paucis fabula sequens monet. Canis parturiens, quod aliam rogasset, vt enixae iam sibi naturae onus, in illius tugurio deponere liceret, voti statim facta est compos. Illa cum postea suum reposceret locum: precibus insistit, et orat, per breve tempus sibi concederet istuc cum suis morari, quoad firmiores ducere posset catulos. Postquam id quoque temporis consumtum, loci domina suum coepit validius flagitare cubile. At hospes ingrata tum, inquit, ego tibi cedam loco, si mihi meisque non impar fueris.

FAB. XX.

Canes Famelici.

Stultum consilium non modo effectu caret,
 Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.

Corium depresso in fluvio viderunt canes;
 Id vt comesse extractum possent facilius,
 Aquam coepere bibere: sed rupti prius 5
Periere, quam quod petierant, contingenter.

Stultitia sibimet ipsa granis.

Stultorum consilia non modo successu carrent, verum etiam auctoribus suis exitium parant.

rant. Canes corium in fluvio depresso vi-
dent: quod ut tanto facilius devorare queant,
inito consilio, aquam absorbere instituerunt.
Sed, ruptis haustu nimio corporibus, ante per-
ierunt omnes, quam, quod petiere, corium
attingere potuerunt.

FAB. XXI.

Leo senex, Aper, Taurus et Afinus.

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis etiam iocus est in casu graui.

Defectus annis, et desertus viribus,
Leo quum iaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus, 5
Et vindicauit i^ctu veterem iniuriam:
Infestis Taurus mox confudit cornibus
Hostile corpus. Afinus ut vidit, ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: fortis indigne tuli 10
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

Ante obitum nemo beatus.

Qui pristinam dignitatem amisit, etiam ab
ignauis contemnitur, et leuissimis quibusque
hominibus in re graui ludibrio esse solet. Cum
Leo valde senex, suisque desertus viribus, de-
cumberet humi prope et in agone versaretur:
Aper accedit, eumque propter iniurias, olim
sibi illatas, iratus atque saeuens lacerat den-
tibus: mox et Taurus ad eum venit, ac hostis
adeo sibi quondam infensi corpus incuruis con-
tundit cornubus. Quod cum Afinus videret,

B 3

et

